

*Appendix. — Europa Nro. 80.*

## Regnum Mortuorum,

*Diarium Politicorum Eventuum.*

21. Septembris 1808.

Adhuc ante hyemem aliter futurum est. Conventus potentissimorum duorum Orientis, et Occidentis Imperatorum felicia promittit tempora, quae 29 aut 30 hujus mensis obtinebit. Omnia jam ad id parata sunt, et Serenissimi Hospites jam sunt in itinere.

Verum multa sunt deliberanda. Res Portae Ottomanicae adhuc stant sub armistitio; bellum Svecicum adhuc perdurat; Angli succenderunt in Hispania et Portugallia novam revolutionem, Ultimus, quem Briti adhuc in Continente habebant, influxus. — Contra vero cum Borussia complanata omnia. Lucta inter terram, et aquam, haec adeo nobis necessaria elementa, adhuc furit. — Ergo ab hocce conventu magna sunt speranda, et adhuc ante hyemem aliter erit.

### *A u s t r i a.*

*Viennae 14. Septembris:* Coronatio Suae Majestatis Imperatricis in Reginam Hungariae peracta erat 7. Septembris, die in Annalibus Pannoniae aeternum memorabili. Inde a temporibus Magnae Theresiae nunquam hoc die. Nobilis Hungarorum natio erat corde, et animo tota in sua ingenua, sincera, et tantis annis dilecta Dinastia Regis sui unita. In pocula, ex quibus deputati nectar Patriae suae pro incolunitate, longaevaeque vita Regis, et Reginae suae bibebant, cadebant dulces gaudii lachrimae, et sic exuberantia gaudii iterum rediit in massam sangvinis, qui pro Regia familia in venis Hungarorum bullit. Metamorphoses Dinastiarum, et longa experientia eventuum praesentis aetatis hanc produxerunt unionem, hanc unitatem.

Praeter plures alios exterarum aularum Ablegatos intererant sanctis his solenniis Legati Imperatorum Galliae Gen. *Ardrossy*, et Russiae Princeps *Kurakin*, erantque oculati testes enthusiasmi nationalis, cujus sequelas quivis eorum pro futuro calculare potuit. — In hac periodo bellorum Domus Austriaca quidem multas amisit provincias, ast per intensionem virium, et per amorem subditorum, eorundemque unionem amore, ac providentia amissum reparare novit.

Nec tamen bellum metuendum habemus; de hoc Aula Gallica in Pagellis officiosis nos identidem securos reddidit. Nec dispar est Aulae nostrae relate ad Politicam cum Aula Petropolitana sensus. Comititia in Hungaria jam pro terminatis haberi possunt; ut audimus, tam Insurrectio permanens, quam etiam reliqua postulata jam primis diebus determinata sunt. Nobilis Patriae amor Nationis Hungaricae aemulatur devotionem reliquorum Monarchiae subditorum.

#### Hispania.

Victoria haec scribuntur de 6. Septembris: Quotidie adveniunt hic novae legiones ad exercitum Hispanicum, qui actu sequentem habet positionem. Centrum, ubi Rex Josephus ipse adest, occupat utramque rippam fluvii Iberis (Ebro) et angustias montium *Biscajae*, cujus quarterium generale est Mirandae inter *Victoriam*, et *Burgos*. Agmen Marschalli Bessieres extenditur ex *Pancorbo* usque *Burgos*, cujus quarterium Generale est in *S. Maria*. Marschallus *Moncey* denique est in et circa *Logronno*, et *Viana*. In montibus Hispaniae varii detecti sunt meatus, qui hactenus ignoti erant, quive in futuris operationibus commodo esse poterunt. Exercitus cum impatientia exspectat signum pugnae, ardetque desiderio, cum Anglis concurrendi. Ministri, et commembra Juntae Bajonnensis sunt partim Mirandae apud Regem, partim vero Victoriae. Marschalli *Jourdan*, et *Ney* jam adsunt apud exercitum in Hispania. Rex utriusque Siciliae *Joachimus* 6. Septembris pervenit Neapolim.

*Calaguri* (Calahorra) scribitur de 31. Augusti; Regem hac die eorsum pervenisse, quem populus cum jubilo excepit. Insurgentes *Tudella* depulsi sunt, quos victores insequuntur. — Ducem *Frias* Rex Legatum ordinarium ad Aulam caesaream Gallicanam nominavit; Don Benito Pardo de *Figuerora* autem, quem Ferdinandus VII. dum Patrem suum throno deturbavit, ad aulam Petropolitanam ablegaverat, in hocce munere confirmavit; Legatus quoque ad aulam Viennensem jam nominatus, verum necdum missus est. — Parlamentum Anglicanum a 20. Augusti ad 1. Novembris prorogatum est. — Legatus Turcicus habuerat 14. Augusti solennem audientiam apud Regem in *Vindsor*. — Praetor *Sidney Schmidt* obtinuit a Principe Brassiliae facultatem, dehinc vexillum navale Brassiliae in suo scuto deferendi.

#### Foedus Rhonanum.

*Dresda* 30. Augusti: Pridie convenerant 7000 Militum in castris ad *Birnam*, cujus cornu sinistrum ad pagum *Mügelin*, dextrum vero ad *Sporvitz* protenditur; procubiae excurrunt ad horae distantiam ultra *Birnam*, utrumque cornu

tegit equitatus; hoc spectaculum innumeros alicit spectatores.

*Hoff. 11. Septembris:* Agmen quintum magni exercitus sub Marschallo *Mortier*, quod in Silesia steterat, iter versus Rhenum ingressum est, quod 23,300 peditum, et 4900 Equitum aestimatur. Contra agmen Marschalli *Davaust*, et Equitatus Generalis *Oudinot*, quae ex Polonia venerunt, substiterunt in Silesia; An etiam in Galliam redeat? incertum est.

Quae autem sit destinatio copiarum Rhenani Foederis, quae Galliam ingressae sunt, pariter adhuc definiri nequit; Aliqui quidem praedicere volunt, copias Primatiales, quae sclopos gallicos acceperant, Boloniam; Ducis Nassaviensis autem Tulonum destinatas esse. Exercitus quoque Vestphalicus jam completus est, et sedulo in armis exercetur; Contingentiam tamen Regis Vestphaliae adhuc petitam non esse, volunt Mystae Politices. Legiones quoque Polonicae jussa superiorum cum impatientia exspectant; quarum quae sit futura destinatio? mox videbimus.

*Septentrio.*

*Petropoli 27. Augusti:* Classis Russica Praetore *Chanykov*, 9. linealium, et 9. subsidiariorum navium; Anglica item 11. classicarum navium, quae ambae in aquis balticis oberrant, adhuc sibi non occurrerunt. Berolinenses jam salutavit a longe politica libertas, qua diu satis carebant, et exspectant cum impatientia reditum Regis cum Dicasteriis in hanc Metropolim, ex qua sat longo tempore exulant. Spem hanc excitat illa circumstantia, quod complures publici Officiales, qui familias suas pro futura hyeme Regionum venire jusserant, ab hac intentione recesserint, suosque Berolini manere jubeant; quod item Colonellus *Kleist*, qui hoc tenus Officialibus, militibusque Borussiae intendebat, et hactenus vestitu militari uniformi publice prodire non poterat, nunc jam palam in hocce vestitu prodeat; et quae sunt alia similia mutati status politici indicia.

Filii Terrae debent adulari dilectae Matri suae terrae, idest debent eam colere, si fructus ab eadem habere velint. Institutum Agricolarum Domini *Fellenberg* in *Hofvill* in Helvetia mox compensabit ingentia illa producta naturae, quae bello praesenti consumpta sunt. — Principissa *Schvarzenberg*, Principissa *Thurn*, et *Taxis*, Viconti, et *Dietrichstein* miserunt jam eorsum viros, agriculturae peritos in hanc scholam, ut nova Instrumenta aeconomica nosse discant, ac tandem domi eadem imitari possint. Comes *Vosovsky* totum cursum scholasticum absolvit, et largam omnium cognitionem secum in Patriam suam Poloniam refert. Comes *Solms Leybach*, et Comes *Hohenthal* erigunt in Ger-

mania fabricas talium Instrumentorum aeconomicorum, prout etiam Baro *Stackelberg* in Lithuania. Historiolarum Romanensium Fabricatrix Domina *Stael* vult observationes suas, in hanc rem factas, tipis edere.

*Berolinenses* litterae non sufficiunt describere solatium Civium, quod proximus Regis sui reditus excitar. Spes haec eorum fundatur in multis adjunctis, ex quibus hic Regis reditus cum quadam probabilitate deduci potest, inter quae est et illud, quod multi Officiales publici, qui pro hieme familias suas Regiomontum evocabant, eas Berolini remanere jusserint. —

#### *Anglia.*

*Londino 20. Augusti.* Pagellae publicae auctoritate Gubernii contradicunt rumori illi, quo spargebatur, Ministerium aliquod mutuum complurium millionum quaerere, quod Parlamento in proxima sessione mense Novembri proponet. Praetor *Sidney Schmidt* acceperat a Principe Brassiliae facultatem, dehinc vexillum navale Brassiliae in suo insigni deferendi. Legatus Turcicus habebat novissime audientiam apud Regem in Vindsor — Agmen copiarum Anglicanarum, quae Duce *Vellesley* nuvisime excurrerant, dicitur ad portum Figuera inter Oporto, et Olissiponem excendisse. Generalis *Junot* cum suis habet arte, et natura fortem positionem, videturque se ad extrema usque defendere velle.

Quarterium Principis Pontecorvo ex Flottbeck proxime transferetur Hamburgum. Ex relationibus Anglicanis, in Pagellis Gottenburgicis vulgatis, clarum fit; plerosque rumores, qui Londini, et inde in alias mundi partes propagati fuerant, vanos esse. Dicunt hi inter alia etiam: Quod Generalis *Dupont* cum 20000 suorum captus sit, ubi tamen agmen Generalis *Dupont* non plus, quam 8000. Agmen Gen. *Vedel* autem non plus, quam 6000 habuerint; exercitus contra Hispanicus Generalis Castanhjos fuerat 25000.

#### *Tunica. — Indusium.*

Hem! quam pulchra es, dicebat indusium ad tunicam, quam bene adhuc prospicis! Ante 20 circiter annos notata eras ab ingenua tua simplicitate. — Tunica, instar ranae affata, considerabat cum despectu indusium, et dicebat: Ego sum magnifice acu picta, et designo hominem, qualis est; quomodo audet indusium mecum familiare esse? — Bene, dicebat indusium; sed indusium cuique est propius, quam tunica, et quivis potest ad indusium exui, at tunc tunica est jam dudum in taberna scrutaria. Ubi sunt tum fimbriae acu pictae? — Ego indusium sum diutissime cuique fidissimum. Vestis non facit Monachum, nec virum.

*B*  
duxisse  
sam Ar  
*P*  
simam  
*B*  
duxisti  
bas, in  
*P*  
calculu  
tra Gal  
*B*  
Anglian  
*P*  
Americ  
amiseri  
*B*  
*P*  
tico. S  
Borussi  
nos, a  
sibi fid  
liam bo  
gliae po  
psa ven  
in conti  
erit, q  
ritimus  
serimus